



Ontificii superstitiones suas, & reditum ad easdem, nostratibus persvasuri, cum aliis multis, tum eo potissimum argumento utuntur, Ecclesiam oportere esse visibilem, ac conspicuam, & gaudere perpetua, & non interrupta successione Episcoporum, aliorumque ministrantium in Ecclesia. Nostram vero, quam illi Lutheranam, nobis non repugnantibus, nominant, novam esse, & cum Luthero demum coepisse, ante quem non coetus tantummodo nullus, sed ne homo quidem, per XV. secula fuerit, qui eadem docuerit per omnia cum Luthero. Quum proinde extra Ecclesiam salus obtineri non possit, eandemque perpetuo duraturam esse ipsi confiteamur in symbolo, vel nostro ipsorum iudicio patere, quod hactenus extra Ecclesiam versemur, & nostratium salvari nemo possit, nisi qui relicto Lutheranorum coetu redierit ad Papisticum.

§. II. Quæ utut speciosius, quam verius disputentur, quum, quæ de Ecclesia invisibili & Catholica erant intelligenda, male illi trahant ad suam, & nostri non ab Ecclesia universa, & vera, sed ab Romana, & corrupta secesserint; dolendum tamen est, hoc admoto ariete, non paucos, & olim expugnatos fuisse, & etiam nunc expugnari, atque induci, ut sacra emendatiora, & nostra, cum corruptis, iisque Pontificiis, commutent. Jacobus, Marchio Badensis, hoc potissimum argumento ad deserendam religionem puriorem inductus videri voluit. Hinc *Emmendingæ*, in Colloquio *Sess. V. n. 211.* postulabat responderi ad quæstionem: *ob Lutheri Religion vor Luthero in visibili Ecclesia geweest sey?*

A 2

dicens: